

supposito, siuè ex parte perfectibili, & perfectiua suppositi; non sic creatio, quæ est ex nihilo omnino, & solum agens extrinsecum supponit

5 Obijcies 3. si darentur principia rerum naturalium, essent eadem in fieri, & in facto esse; atqui non possunt esse principia eadem; ergo dicta principia non dantur. maiorem certam esse dicunt aduersarij, minorem verò probant ita; effectus diuersi nõ possunt prouenire ab vna causa; at fieri, & factum esse sunt diuersi effectus formales; ergo non possunt ab iisdem principijs, cum essent eiusdem rationis in omni statu.

Respondeo distinguendo maiorem; essent eadem entitatiuè, concedo; formaliter; nego; atque adeo ab illis possunt emanare plures, & diuersis effectus formales formaliter diuersi, immò, & entitatiuè diuersi sicut sunt principia, vt cum de generatione, & corruptione dicam, vt dixi etiam in logica cum de eius diuisione loquebar, & stando in modo loquendi Aristotelis, & Aristotelicorum, nonne eorum principia sunt diuersa ab esse in fieri, ac ab esse in facto esse illorum? cum forma in fieri non dum sit facta, sed fiat, in facto esse verò facti permaneat.

S V B S E C T I O II.

Secundæ parti sectionis titulo præfixa satisfacio.

PROVT dixi in præambulo huius secundæ quæstionis de rerum naturalium principijs, multa Doctorem fuerunt placita, videlicet, quod aliqui vnum solum assignauerint, & hoc immobile esse dicebant, & infinitum; alij immobile quidem, finitum tamen alij ponebant dictam vnum principium finitum, & mobile, & hoc vnicum principium assererat vulgus esse terram, aliqui aquam, vt Tales, & Anaximenes dixit esse aerem, alij ignem, principium omnium rerum vocabant, vt Eraclitus cum suis sequacibus; alij corpus medium inter aquam, & aerem tale principium esse dixerunt; alij corpus medium inter aquam, & ignem; nemo tamen ausus est dicere, quod detur corpus medium inter terram, & aerem.

7 Multi etiam, vt loco citato tetigi, non vnum principium tantum rerum naturalium posuerunt, sed infinita numerare ausi sunt, & atomos esse dixere, sicut modo etiam nostra tempesta-